REGVLA CANCELLARIAE

Reuocationis Expectatiuarum, & alia-rum gratiarum de Beneficijs vacaturis quibuſuis conceſſarum.



Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMVS in Chriſto Pater & D.N. Dñs Paulus Diuina prouidentia Papa III. qui vltra genera-
lem gratiarum expectatiua-
rum conceſſionem, q̃plures gratias, ad vaca-
tura beneficia, ac ſpeciales reſeruationes, &
mandata, de prouidendo, de beneficiis huiuſ-
modi ſeu illa commendando, aut alias de il-
lis diſponendo, in diuerſarum perſonarum,
& forſan etiam nullius fauorem conceſſit, cer
tis rationabilibus cauſis animum ſuum mo-
uen̄. omnia & ſingula expectatiuas, & alia ci
tra acceſſus, & regreſſus, ac de conſenſu cod
iutorias, ad vacatura beneficia, gratias, earum
collationum mutationes, extenſiones, reua-
lidationes, etiam ſi qui per eas in Canonicos
ſub expectatione præbendę, vel portion̄. crea
ti, vel recepti fuiſſent, ac prætereá ſuper qui-
bus per Cancellariam Apoſtolicam literæ in
forma ſolita expediri conſueuerunt ſpecia-
les reſeruationes, necnon nominationes, &
nominandi facultates, ac mandata de pro-

Digitized by Google

uidendo, ſeu commendando, aut alias diſponendo, non tamen in forma Capituli mandatum; in Francia quibuſuis collegiis & perſonis cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant. Etiam ſi Cardinalatus honore præfulgeant, etiam de conſenſu ordinariorum collatorū, & alias quomodolibet, necnon quæcunq; facultates, & indulta Cardinalibus aut aliis perſonis tā ordinariis q̄ non ordinariis, conferendi beneficia eccleſiaſtica, ad aliorū collatorum collationem, prouiſionē. præſentationem, electionem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem de iure vel conſuetudine, aut alias quomodolibet ſpectantia, etiam ſi illis de eorumdem collatorum conſenſu conceſſa fuiſſent, ac etiam quibuſuis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & prælatis, ac aliis perſonis, etiam locorum ordinariis, aut ordinariam collationem, ſeu aliam diſpoſitionem beneficiorum eccleſiaſticorum, de iure, vel conſuetudine habentibus, non tamen Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quoad vixerint, ſeu ad

aliud tempus diſponendi, de beneficiis Eccl ſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus, ad eorū collationes, ſeu quamuis diſpoſitionem pertinentibus, etiam ſi diſpoſitioni apoſtolicæ generaliter reſeruata, ſeu ex generali reſeruatione apoſtolica affecta forent in aliis quam alternatis, ſeu eiſdem ordinariis Collatoribus: per. S. ſuam vigore conſtitutionum ſuarum, aut dictæ Cancellariæ regularum conceſſis, & concedendis menſibus, ac etiam quo ad beneficia eidem diſpoſitioni generaliter reſeruata, ſeu affecta, duntaxat in eiſdem alternatis, ſeu al's eis cōceſſis mēſibus ab ipſi . S. ſua & ſede apoſtolica, ſeu eius legatis, etiā motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, aut aliorum princip ū conſideratione, & ex quibuſuis etiam vrgentiſſimis cauſis, ac cum quibuſuis declarationibus & mentis Sanctitatis ſuæ atteſtationibus, & reuocationibus præſeruatiuis, aliiſque efficacioribus, ac inſolitis clauſulis, necnō irritatibus, & quod illa extūc effectū ſortita eſ-

ſent, & plenum ius in re acquiſitum fore cenſeretur, ac illis non niſi certis, modo & forma in eis expreſſis, & de conſenſu eorum, quibus conceſſa forent, aut etiam nullatenus derogari, ſeu illa reuocari poſſent, & quotiens illis derogaretur, aut illa reuocarentur totiens de nouo, ſub data per eos eligenda, conceſſa, & innouata eſſent, & eſſe cenſerent, ac expediri poſſent, & ſic per quoſcunque iudicari deberet aliiſque efficacioribus etiam vim, contractus inducentibus decretis, etiam de conſenſu ordinariorum, & alijs quomodolibet etiam conſiſtorialiter, hactenus conceſſa, approbata, & innouata, quorum omnium tenores & formas, ac decreta in illis appoſita. Sanctitas ſua pro expreſſis haberi voluit, quoad ea in quibus vere & realiter ac alijs, quam ex decreto in eis appoſito non ſunt effectum ſortita expreſſe reuocauit, ac irritum &c. decreuit ſtatuto, ordinatione, decreto, & declaratione ſuis in craſtinum ſuæ aſſumptionis editis, quibus voluit Cardinales in conſtitutionibus per eum impoſterum edendis, & publicandis non com

prehēdi, niſi ille eorum fauorē concurrerent vel ipſæ conſtitutiones de eorumdem Cardinalium, vel maioris partis eorum conſilio editæ forent, nequaquam obſtantibus.

Placet, publicetur: & deſcribatur. A.

¶ Lecta & publicata fuit ſupraſcripta Regula Romæ in Cancellaria apoſtolica. Anno incarnationis Dominicæ. Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Die vero Iouis Prima menſis Martii. Pontificatus præli bati Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ Tertii. Anno Quartodecimo.

Ant. Lomellinus Cuſtos.

Digitized by Google